# AD QVODLIBETARIAM QVAESTIO MEDICA MATVTINIS AGITANDA DISPVTATIONIBVS IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XIX. FEBRVARII. M. NICOLAO MARCHAND, DOCTORE MEDICO, MODERATORE.

*An humor cryſtallinus principale ſit viſus inſtrumentum?*

VT præſtabilia quæque adeptione ardua ſunt, ita viſus cæteros ſenſus præſtantia excellens cognitionis ſuæ explicatus habet difficillimos: ſiue eius obiectum expendamus, ſiue ad viſionis modũ attendamus, ſiue denique ad totius organi partes earumque actionem & vſum animum referamus. Obiectum eius, quod lucem tam primariam quàm ſecundariam ſtatuimus, naturam ſemper habuit magis admirabilem quam explicabilem. Cum enim corpus non ſit, trina tamen dimenſione ſeſe diffundit, atque ἀνάκλασιν patitur. Cum vero ſit qualitas, de ſubiecto vno in aliud temporis puncto ſeſe introducit. Colorum autem eſſentia cum nihil aliud ſit quàm lumen aliquid paſſum, quatuor primarios eſſe, qui cæterorũ principia ſint, album nempe, nigrum cærulum, & rubrum, quod non exſeſe, neque ex aliis, ſed ex iis reliqui omnes, ſi non teſtimoniis luculenter, at ἀποδείξει euidenter conuinci poteſt: Nullumque propterea oculis innatum eſſe lumen, ne animantium quidem quibus laxè in maligna & dubia luce pupula ſeſe amplificat: quæque ea de cauſa tunc temporis commodius vident.

SVMMA animorum contentione inter doctos hactenus pugnatum eſt, vtrum viſio receptione, an emiſſione, an vtroque modo fieret. In primam ſententiam demonſtrationum euidentia adducti diſceſſionem facere cogimur. Ne autem lumen largius in oculum ſeſe inſinuans facultati incommodaret, aut parcius influens illam languidius incitaret, natura Iridem affabre & pulchrè molita eſt: quæ luci vberiori, & obiecto candido obuia, pupulam coanguſtat: debiliori vero luci & atro obiecto aduerſa illam dilatat & explicat, vnde eliminandum è ſcholis decantatum illud adagium, Viſum albore diſpergi, nigrore vero congregari. Huius coronæ motus ad luminis rationem ſeſe componens, tantam habet neceſſitatem, vt qui eo expertes fiunt μυδριάσει aut ῥυτιδώσει interdum excœcentur. Tunicæ huiuſce vſui ars ſuppetias tulit: Μύωπες enim & quibus lumen largius nocet, concauæ ſuperficiei conſpiciliis iuuantur: quòd minus, & remiſſius lumen in oculum tranſmittant. Νυκτάλωπες contra, & quos copioſius & viuidius lumen iuuat, conuexæ ſuperficiei conſpicilia expoſcunt: quòd his lumen refractione affectum in oculos ſeſe viribus adauctum transferat. Vnde falſa eſt illa opticorum propoſitio, qua demonſtrare enituntur & contendunt omnem refractionem formam lucis & coloris debilius viſui repræſentare. Non ſecus atque illa, qua perperam aſſerunt, nullam refractionem immutare ſitum partium formæ refractæ, ſed ſolum augere vel imminuere figuram. Sed non reticendum dari ex duabus his conſpiciliorum ſpeciebus tertiam compoſitam, quæ obiectum præ interualli longniquitate viſus aciem fugiens, facile conſpicuum prodat.

HANC Iridem ſeu oculi coronam totam ab vuea aliam eſſe (quamuis contra Anatomici ſentiant) αὐτοψία & peculiaris eius ſtructura actio & vſus redarguunt & demonſtrant. Oculi vero totius figuram non vndequaque ſphæricam eſſe, ſed in piſcibus, quibus poſterior cryſtallini ſuperficies depreſſa eſt, κερατοειδὴς etiam eſt depreſſior: In auibus vero quadrupedibus & homine, quorum eadem cryſtallini ſuperficies poſtica, ſed auium potiſſimum, extuberat, eadem cornea etiam in iis extat & eminet: Ita vt ex duarum quodammodo ſphærarum ſuperficiebus oculi figura conſtare videatur.

HVMOREM autem cryſtallinum non ἁπλῶς ad viſionem, ſed κατά τι tantum ad viſionẽ diſtinctam valere confidenter aſſeueramus, Ita vt is ad cauſam per quam melius fit viſio ſit reuocandus: Cum lumen ſiue ſpecies in pellucido non firmetur, ſed transferatur: Neque in vno & eodem ſubiecti puncto temporiſque momento indiuiduo variæ & diſcretæ alterationes fieri queant: Ii quibus ob ὑπόχυμα oculus acu punctus fuit, cryſtallinuſque de ſede deturbatus, comminutus, diſſipatus & ad inferiores oculi partes afflictus, videant tamen, ſed ob cryſtallini inopiam, confuſè & perturbatè omnia: diſtinctè vero & diſcretè conſpiciliorum opera ſola, quæ proportione & figura cryſtallino reſpondent: Nec vllus vnquam hoc affectu bis corripiatur. Ex quibus etiam ὑπόχυμα non eſſe humoris inter corneam & cryſtallinum concretionem, ſed ipſius cryſtallini, aut eius tunicæ affectum & alterationem deprehendi poteſt.

SPECIES ergo ſiue εἴδωλα potius in retina firmari & depingi, ſitus, ſubſtantia, color partis & αὐτοψία demonſtrant. Eſt enim retina quædã veluti cerebri portio, quæ ſeſe in latum explicans totam vitrei humoris poſticam ſuperficiem ambit: Cum vero albeſcat, colorum omnium facile fit capax: Eſt enim albor non tam color quàm potentiâ colores omnes: Cum enim particulis pellucidis ſubiectum eius conſtet, hac ratione colorum & luminum genere omni facile inficitur, quorum effluentiam infinitarum prope ſuperficierum occurſatio interpellat: Idem comprobat oculi carnibus & pinguedine omni expurgati à poſtica parte inſpectio, antequam caloris effluuio deturgeſcat: ſed elegantiſſimè id euincit Opticorum camera obſcura omnium obiectorum imaginibus in ſubiecto albo, pictura omnem admiratione ſuperante impreſſis. Viſibilis vero cognitionem per modum rationis aliquem ſemper fieri remanente in anima notione ſiue forma vniuerſali, qua quodlibet viſibile ſimile cognoſcatur: In viſioneque errari, aut ſolo viſu, aut anticipata notione, aut ſyllogiſmo acutè & doctè Optici demonſtrant.

*Ergo humor cryſtallinus non eſt principale viſus inſtrumentum.*

Aſſerebat LVTETIÆ LVDOVICVS SAVOT Sedelocenſis, Anno 1609.




## DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

*M. Gabriel Biart.*
*M. Ioannes Deſgoris.*
*M. Renatus Chartier.*
*M. Franciſcus Placet.*
*M. Andreas du Chemin.*
*M. Georgius Arbaud.*
*M. Nicolaus Marchand Præſes.*
*M. Franciſcus du Port.*
*M. Guillelmus Luſſon M. Regius.*